

ELEMENTA
THERAPIAE GENERALIS
IN
USUM ACADEMICUM.


BARCINONE:

APUD VIDUAM ET FILIOS D. ANTONII BRUSI.

ANNO 1826.

ELEMENTA
THERAPIAE GENERALIS

17
USUM ACADEMICUM

BARCIONE:
ATVD VIDUAM ET FILIOS D. ANTONII BRUI.
ANNO 1826.

PRAEFATIO.

Anno millesimo octingentesimo decimoquinto elementa haec Therapiae generalis discipulis meis tradidi praelectionibus academicis accommodata, quae aliquas ob causas typis non mandaveram. Ob alias nunc mando, et feré quidem haud mutata, cum velim conspiciatur quidnam tunc docuerim alumnis, qui antea physiologiae et pathologiae Boerhaavii vacaverant, cumque etiam existimem in continuo systematum medicorum fluxu refluxuque nihil melius tradi posse discipulis quam doctrinam nulli systematum prorsus addictam, sed potiùs his omnibus, quoad fieri possit, consentaneam, quam prudens eclecticismus suppeditaverit.

Nunc veró non possum quin haec clarissimi Stollii verba repetam: "*Aphoristicum Boerhaavii dicendi genus, paucis multa complectens, mihi semper est plurimùm probatum. Placent enim fideliter castéque observata, et canones inde legitimá inductione confecti, significanter dein, lucidéque expressi. Haec dos est Boerhaavianis; hoc mihi exemplar fuit: quod si non fuero assecutus, erunt, qui melius facient,*

sed tum solùm, si Boerhaavium. approximando sequantur. Verùm uti haec probo, ita displicet illa, ut nunc est, ventosa loquacitas, quae sub amplo verborum volumine nil solidi tenet: displicet illa opinionum vertigo, quâ ars laborat, ubi hypothesis hypothesin trudit..... Actorum rationem me debere lectori, paulò magis articulatam, et quae omissa, mutata, inserta propiùs spectet, lubens fateor: verùm, cum omnium nequeam, intra arctos epitomes cancellos clausus, paucorum nolim, id negotii in tempora praelectionum distuli. Sed vel sic noverit peritus lector quid praestiterim, et hos meos conatus aequi faciet.

Discipuli saltem mei, quibus aliquot annorum spatio elementa haec, brevia quidem, uti elementare opus decebat non nisi brevi curriculo tradendum, sed in praelectionibus sat superque explanata, utilia fuerunt, grato animo, credo equidem, quod ipsa nunc typis mandem accipient.

Felix Janer.

ELEMENTA THERAPIAE GENERALIS.

1. **T**herapia est illa Medicinae pars, quae tradit doctrinam de curatione morborum. Definitio.

2. Dividitur, uti Pathologia, in *generalem*, quae morbos generatim, et *specialem*, quae singulos morbos speciatim curare docet. Divisio.

3. Obiectum igitur Therapiae est curatio morborum; ad quod *adipiscendum* Medicus suam in homine aegro actionem eo dirigere debet, ut eius vitam conservet, morbi causas aut arceat, aut inertes faciat, morbum tollat, et eius effectus auferat, aut saltem moderetur. Obiectum.

4. Cum permultae sint regulae, plus minusve certae, atque etiam variae pro vario cognitionum medicarum statu, quibus ductus Medicus suam actionem curatoriam (n. 3.) dirigere possit, regulae istae in rationalem methodum collectae vocantur *ratio seu methodus medendi*; quae ideo nihil aliud est quam regularum, quae artem curatoriam dirigunt, scientia. Regulae,
seu
Methodus
medendi.

5. Methodus medendi obiectum et finem Therapiae (n. 3.) adimplere nequit, nisi praesens corporis

aegri conditio per opportuna auxilia ritè mutetur; hinc Medico innotescere debent tum mutationis natura et ratio, tum varia auxilia quae illam mutationem perficiant.

Indicans. 6. Id autem, quod in aegro ex praeteritâ, praesenti et futurâ corporis conditione sui conservationem, vel mutationem quamcumque exigit, dicitur *indicans*.

Indicatio. 7. Illatio seu conclusio ex indicante deducta, quae demonstrat quid in morbo nunc, vel in futurum agendum sit, vocatur *indicatio*.

Indicatum. 8. Quod denique ex notitiâ indicantis et indicationis secundum artis regulas faciendum iudicatur, *indicatum* audit.

Quaenam sint indicantia. 9. Itaque phoenomena, quae in aegro homine cum sano comparato occurrunt, scilicet morbus, eius causa, indoles et effectus, ac res ipsae naturales vitae et sanitatis adhuc superstites indicantia sunt, quibus Medicus ducitur ad indicationem constituendam.

Coindicans. 10. Si vero alia iterum phoenomena, vel novo facto aegri examine, vel progrediente morbo, se offerant, quae indicationem ab indicantibus prius animadversis deductam magis confirment, *coindicantia* dicuntur.

Contraindicans. 11. Quod si in aegro ea observantur, quae prioribus indicantibus tam manifestè adversentur, ut oppositam mutationem et contrarium remedium indicent, vel singularem actionem et peculiare auxilium desiderent, *contraindicantia* nominantur.

Indicatio quadruplex. 12. Indicatio vero, seu illa ratio, quâ curationis instituendae methodus ex indicantibus statuitur, ut illam proposita (n. 3.), vel saltem aliqua ex ipsis, per-

ficiantur, quadruplex est generatim, vitalis nempe, causalis, curatoria et symptomata.

13. Quatuor igitur partes habet methodus medendi, mox sigillatim exponendas.

14. Dein indicata sunt illa omnia, quae modo per regulas artis praescripto adhibita valent praestare illam actionem, quae vitam conservet et morbum vel arceat, vel tollat, vel mitiget.

Indicata
sunt
remedia.

15. Vocari proinde solent *remedia*, *auxilia*, *invantia*, et *medicamenta*, quae, prout é triplici medicinae fonte promuntur, in Diaetetica, Chirurgica et Pharmaceutica discriminantur.

Remedia
triplicia.

16. Ad diaetetica pertinent sex res connaturales, quas exponit Hygiene Therapeutica (n. 35. et seq.), ad chirurgica operationes omnes, quas docet Chirurgia, et ad pharmaceutica demum pharmaca seu medicamenta, quae tradit Pharmacologia, sive Materia Medica.

17. Praeterea methodus medendi est vel *rationalis*, vel *empirica*: methodus rationalis morbi curationem instituit secundum indicationes deductas per ratiocinium theoreticum; empirica vero absque ullâ indicatione, quae ratiocinando super theorias medicas deducatur.

Methodus
rationalis
et
empirica:

18. Rationalis methodus vel *naturalis* est, vel *analytica*: illa motus naturae salutes ac solutionem morborum spontaneam contemplatur, insequitur, fovet, reprimat, dirigit, per auxilia naturae aegri et indoli morbi magis consentanea; haec affectiones morborum simpliciores et elementares, ex quibus ipsi, veluti ex totidem elementis, primario vel secundo conflantur, seorsim considerat et oppugnat.

Naturalis
et
analytica.

Empirismus
multiplex.

19. Methodus empirica est etiam multiplex, quatenus curat morbos vel per remedia peculiaria et *specifica*, vel per vehementes et subitas, aut alternas et contrarias corporis *perturbationes*, vel per novi morbi, qui priorem depellat aut praecaveat, *substitutionem*, vel alio modo empirico; illa sic adhibendo auxilia, quorum utilitatem experientia demonstravit.

Usus
diversae
methodi.

20. Methodus rationalis adhibetur in morbis, quorum indoles nota est, et empirica in illis, quorum indoles nondum innotescit, vel qui nequeunt ullâ rationali methodo curari.

21. Optimus Medicus nec solûm Dogmaticus, nec unicé Empiricus sit oportet; ast *Ratio* non erroneis hypothesibus ac levibus coniecturis, sed exactis *co*gnitionibus experimentalibus innixa, et *Experientia* observationem, analogiam, instinctus etiam naturales, ipsosque casus fortuitos rationaliter perspiciebat, mutuam illi opem praestare debent.

Curatio
naturalis, vel
artificialis.

22. Dein curatio morborum vel viribus naturae, vel adminiculis artis peragitur, ideoque vel *naturalis*, vel *artificialis* est.

Quid sunt
vires naturae
medicatrix.

23. *Vires naturae medicatrices* sunt ipsae vires vitales, quibus diversae vitae actiones functionesque peraguntur, quibusque natura, quemadmodum ad sanitatem conservandam, sic ad eandem restituendam procedit, modo mirabili, nec saepe intelligendo, cum pars plurima virium vitalium, ideoque medicatricium, nobis adhuc ignota sit.

24. Ita partes corporis separatae agglutinantur, amissae restituuntur, irritatae in ipsos stimulos reagent, motusque salutare multifariam excitant, sanae

ad affectarum levamen conspirant, vel earum vice funguntur, res ipsae noxiae involvuntur, expelluntur, aut corpori assimilantur, inconsuetae etiam viae aperiantur, morborum resolutiones, crises, metastases fiunt, per *vim naturae*: ita multi morbi sine medicamentis sanantur viribus naturae, vel solis, vel forsani adiutis á vi rerum connaturalium, aut etiam ab aetate, consuetudine, &c.

Quidnam
praestant.

25. Inde vel *nihil agendo* non raró morbos curat Medicus, tunc attentus et inofficiosus naturae contemplator; nec artis auxilia adhibere debet, nisi cum aut nimias naturae vires temperare, aut collapsas erigere, aut demum aberrantes ad finem suum reducere oportuerit.

26. Methodus igitur medendi hoc respectu duplex est, *expectans*, vel *activa*: primam adbibet Medicus, dum considerat solam naturam ad morbum debellandum sufficere, ac salutare eiusdem opus nimis officiosis artis auxiliis potiús perturbari; secundam veró, cum cognoscit solas naturae vires haud esse sufficientes, atque naturam necessarió succumbere debere, nisi ipsi auxilietur activo artis opere.

Methodus
expectans
et
activa.

27. Adminicula, quibus *artificialis* therapia morbos sanat, sunt triplicia; Diaeta, Medicamenta, et Manus, vel Instrumenta (n. 15. 16.).

Auxilia
curationis
artificialis.

28. Demum methodus medendi est *indirecta*, seu *generalis*, et *directa*, seu *peculiaris*: illa semper est adhibenda, quotiescumque aut clarae indicationes non suppetunt, aut iisdem, licet perspectis, satisfieri nequit (n. 268.); haec adhibetur, cum morbus bené cognitus est, clarasque indicationes suppeditat me-

Methodus
indirecta
et directa.

dicatione directâ et peculiari liberè adimplendas (n. 143. et seq.).

29. His iam cognitis , veniamus ad peculiarem expositionem regularum , quibus Therapia quatuor Indicationibus generalibus morborum satisfacit , quadruplici methodo (n. 12. 13.)

METHODUS CONSERVATORIA.

Obiectum
meth.conserv.

30. Methodus conservatoria satisfacit *indicationi vitali*, seu *conservatoriae*, quae exigit conservationem vitae , viriumque corporis humani istam praecipuè constituentium aut conservationem , aut incitamentum , aut imminutionem , aut etiam reversionem ad statum naturalem.

Quid sit indicatio
vitalis.

Status virium
in morbis
quadruplex.

31. Vires enim vitales in morbis (quaecumque illae sint , etsi per easdem nonnisi actio vitalis intelligatur), aut iustum servant modum per artem conservandum ; aut nimis imminutae sunt , ideoque excitandae , ne , ipsis evanescentibus , vita extinguatur ; aut ita adauctae , ut ex validiori illarum reactione vita aegri quoque periclitetur , sicque debent infringi ; aut demum á naturali statu ita deflectunt , ut sint reducendae.

32. Quadruplex igitur est indicatio vitalis , vires conservare , vel incitare , vel imminuere , vel demum revertere (n. 31.)

CONSERVATIO VIRIUM.

Nutritio
conservatrix
virium.

33. Vires vitales , ut in homine sano , sic et in aegrotante , per debitam nutritionem praecipuè conservan-

tur , quae in utroque prorsus similis est. Cum tamen in isto multae functiones corporis sint plus minusve labefactatae , selectus alimentorum et potulentorum , variaque auxilia eorum elaborationis et assimilationis attendenda sunt , ut aeger , qui non omnia ferre potest , debitâ semper et in acutis et in chronicis morbis nutritione reficiatur.

34. Stabilienda igitur est *Diaeta aegroti* , quae latè sumpta est victus et rerum connaturalium á medico praescripta methodus , quae sub curatione morborum ab aegroto observari debet.

Diaeta
aegroti , seu

35. Haec methodus , seu *Hygiene therapeutica* tradit regimen sex rerum connaturalium , quarum usu sanitas , uti conservari , sic etiam restitui valet.

Hygiene
therapeutica

36. *Aër* in cubiculis sit purus , serenus , siccus , et moderatè calidus , per ventilationem , lucis liberum ingressum , fenestrarum aperturam , maximè aestate , horisque matutinis , crebrò renovatus ; vitando impurum , putridum , nubilum , humidum , nimis frigidum nimisque calidum.

Aër.

37. *Conclave* sit amplum altumque , mundum , aquâ purâ , aromaticâ , aceto , aceti aut herbarum aromaticarum vapore ad gratum odorem lustratum , non nisi carbonum bene accensorum hypocaustis , nec nimis , hyeme instructum , subobscurum plerumque et á strepitu tumultuque semotum.

38. *Victus* in genere idoneus in morbis acutis constat cibus et potibus fluidis , in chronicis plerumque solidis ; omnibus facilè digerendis , putredini adversis , siti contrariis , appetitui excitando aptis , causae morbi cognitae oppositis.

Victus.

Triplex. 39. Praescriptio cibi et potus in morbis stricté dicitur *diaeta*, quae triplex est, plena, mediocris, et tenuis.

Plenus. 40. *Diaeta plena* seu *crassa* ea est, quae non solum vires corporis conservare, sed etiam robur earum

Cui convenit. augere potest; et convenit aegris robustioribus et voracibus, iis scilicet qui á morbis acutis penitus reconvalescerunt, iisque saepe qui chronicis actu laborant.

Ex quibus paratur. 41. Hanc diaetam constituunt carnes molliores, imprimis assatae, iuniorum animalium, iuscula optima ex iisdem parata, pisces teneriores, panis albus bis coctus, ova, lac et lacticinosa, vegetabilia tenera, condimentum aromaticum, potus spirituosus, vinosus.

Mediocris. 42. *Diaeta mediocris* est, quae vires conservat, sed non auget; et convenit aegrotis debilibus, reconvalescere incipientibus, morbis vel acutis vel chronicis, nec inflammatione, nec validâ feбри, nec alio irritationis signo stipatis laborantibus.

Ex quibus fit. 43. Hanc diaetam componunt iuscula carnea leviora, carnes ipsae teneriores coctae parcâ manu exhibitae, vitelli ovorum, chocolata, panis optimus, puliculae ex ipso, vel ex seminibus farinaceis cerealium, uti tritici, hordei, oryzae, in aquâ, aut iure carniū coctae, emulcta vel decocta amygdalarum, avellanarum, fructus bené maturi, praecipué cocti, grati, acido-dulces, vel etiam acido-austeri, recentes, aut in saccharo conditi, aut in gelatinam versi, olera mollia sat cocta, infusum coffeae cum lacte, serum lactis vinosum, potus nonnihil vinosus, vel et spirituosus dilutus, ponch.

Tenuis. 44. *Diaeta tenuis* est, quae vires nonnihil imminu-

tas conservat; et convenit aegris plethoricis, biliosis, inflammatione, validâ febre, humorum orgasmo, irritatione quacumque organorum affectis. Cui convenit.

45. Hanc dietam efficiunt fructus aqueo-dulces, acidi, acido-dulces, bene maturi, vel cocti, iuscula vel cerealia aut farinacea, vel si carnea, valdè diluta, Ex quibus constat.
serum lactis dulce aut acidum, emulsiones variae tennes, saccharatae, decoctum hordei cum saccharo, limonada, aqua pura, acidula, nitrata.

46. *Potus* sequitur dietam (n. 41. 43. 45); copiosus autem pro sitis gradu, aestate frigidiusculus, quandoque gelidus, hyeme nonnihil tepidus, aquosus, purus, vel acidus, vel saccharatus, quantum fieri possit gratus, est ordinariò exhibendus. Potus.

47. Alimentorum autem et potulentorum omnium delectus, praeparatio, condimentum, copia, occasio adhibendi, ordo offerendi indicantur ab aetate, sexu, temperie, victu consueto, causâ, morbo ipso, statu morbi, duratione eius praeteritâ et futurâ, symptomatibus, anni tempore, coelo, et similibus, quae circa aegrum adsunt. Quae attendenda in ordinando victu.

48. Igitur ante exacerbationem morbi nullus cibus concedendus est, multò minùs in ipso paroxysmo; sed eo finito, vel saltem cum eius impetus multùm decrevit.

49. In acmie morbi tenuissima et pauca, in adscensu et descensu eò plus, et meracius dandum, quò magis ab eâ distat morbus.

50. Si vires ad subigendum nutrimentum debilissimae sunt, nonnisi fluidum propinetur; sin aliqua vis digestionis viget, solidiora masticando subacta meliùs

conveniunt. In priore illâ debilitate crebrius, ac binis adeo ternisve horis victus exhibendus est; in posteriori vigore intervalla maiora sint, ut sex horarum, et amplius, vel etiam quandoque minus, pro diversis aegris et diversâ cibi copiâ.

51. Quó brevior morbus, eó minus et debilius offerendum est, et contra.

52. Plus cibi dandum est pueris et senibus, quam adultis; viris, quam foeminis; incolis polo propioribus, quam aequatori vicinis; hyemé, quam aestate; in morbis chronicis, quam in acutis; in afebrilibus, quam in febrilibus; in nervosis, quam in gastricis, et inflammatoriis; in reconvalescentiâ, quam in morbo; edonibus, et assuetis lauté vivere, quam sobriis, et parcam vitam degentibus; si demum non sensus gravis, sed levis cum hilaritate quadam sequatur assumpta.

Auxilia
digestionis.

53. Ulteriores nutrimenti elaborationes in universo corpore adiuvandae sunt motu musculari per frictionem, exemptionem é lecto, circumductionem per cubiculum, sessionem, ambulationem, oscillationem, gestationem in rhedâ, equo, &c., varios ludos gymnasticos.

54. Sic membra vel spongiis aquâ frigidâ aut aromaticâ madidis, vel linteis siccis aut vapore aromatico imbutis fricari possunt, unde etiam cutis blandé perspiret. His succedant aliae corporis exercitationes usque ad initia lenioris lassitudinis, quibus somnus tranquillus invitatur.

55. Quod si in debilibus non rité digerentibus aliqua saburra colligitur, blando laxante salino, rhabarbarino illa subducatur.

56. *Motus* quibusdam morbis, chronicis praecipué, convenit (u. 53. 54.); *quies* aliis, cunctis feré acutis, in quorum tamen nonnullis, inflammatoriis nempe, summé febrilibus, homines robustiores afficientibus, sanguinem viresque vitales fortiter incitatas versús caput congerentibus, aestate praesertim, praestat ut situm horizontalem non servant aegri, ac potius erigantur sub tenui veste, educantur é lecto, sedeant, saltem per aliquot horas, pro diverso morbi et virium statu, aut aliquantulum per cubiculum ambulent, vel ab adstantibus molliter circumducantur.

Motus
et
quies.

57. *Decubitus* quoque aegrorum diversus erit in diversis morbis, qui situm meliorem iam suggerere solent: *stragula* plerumque sint levia, non opprimentia, nec suffocantia, tum maximé si tempestas et cubiculum fuerint calida; non ita levia, duplicia plerumque, hyeme, tempore et cubiculo frigidioribus; munda semper, et crebró renovata.

Decubitus.

58. *Animi adfectuum* moderamen, ut semper, sic praecipué in morbis servandum est; *spes* et mediocre *gaudium* prosunt. Medicus ideo adhortationibus suis, quas adiuvent adstantes, caetera animi pathemata, timorem imprimis et iracundiam cohibeat, spem et fiduciam excitet, omniaque ab aegro removeat, quae animi contentionem urgent et foveant, uti ingenii labores, atque violentae sensuum exercitationes. Hilaris musica, amica grataque colloquia, laetae tum verae, tum fictae historiae, versus praeprimis iocosi et comici variis in morbis possunt illud perutile gaudium alere.

Animi
pathemata.

59. *Somnus* aegrorum sit moderatus, magis excedens quam deficiens, dummodo naturalis, nocturnus

Somnus
et
vigilia.

praecipué, qui non gravet, sed iucundé reficiat; ast saepiús quacumque horá, et apud reconvalescentes post prandium optimus. Itaque longae *vigiliae* vitentur, nisi in morbis soporem perniciosum seduló excutendum inducentibus.

Excreta
et
retenta.

60. *Excretiones* alvi, urinae, ac perspirationis cutaneae quotidie plus minus procedant vix non semper oportet, atque *retenta* promoveantur accommodatio-ribus auxiliis in methodo curatoria tradendis.

INCITATIO VIRIUM.

Auxilia.

61. Si actio vitalis in morbis nimis imminuta et segnior per sua signa, quae docet *Pathologia*, cognoscitur, indicat sui augmentum et excitationem, quae obtinebitur, primúm per optima nutrientia, cibum potumque meraciores, vario modo secundúm regulas victús in morbis (n. 38. et seq.) propinatos; dein aëre puro, calore, frictione, fotu, motu musculari variis modis peracto, animi adfectibus exhilarantibus, vividá luce, musicá; denique medicamentis excitantibus variis.

Triplex
excitatio.

62. Virium vitae incitatio triplici modo peragi potest, *vel* actione promptiori et quasi momentaneá, sed fugaci et plerumque leviori, qualis est medicaminum diffusivorum; *vel* promptá quidem, sed non momentaneá, nec valdé fugaci, ac sané validiore, qualis est stimulantium; *vel* tardiore et constanti, licet non ita validá, qualis est roborantium. Quae quidem medicamenta tripliciter excitantia fusiús exponit *Materia Medica*.

63. Prior excitatio indicatur in aegris summé incitabilibus; in maximâ corporis debilitate; á languido humorum liberé circulantium motu, pulsuque debiliore; ab animi deliquiis, summisque metu et moerore; á sensûs motûsque, functionum animalium et vitalium defectu, imminutione, torpore; á stomachi robore valdé fracto; generatim omni in morbo ex defectu stimuli celeriori effectui reponendi aut actionis vitalis citó instaurandae.

Indicatio
primae.

64. Secunda requiritur in aegris non valdé incitabilibus; in debilitate verâ nonnisi per validam excitationem, cauté semper, corrigendâ; á summo fibrarum torpore et anaesthesiâ; in affectibus soporosis, paralyticis, et spasmodicis veré adynamicis; in effraeni humorum in aliquod viscus impetu aliorum avocando; in ipsorum vitiis, si ab spissitudine et lentore, ob motûs inertiam, fiant; in obstructionibus glandularum et viscerum, et ubi materia aliqua per solidorum languorem stagnet ac resolvenda sit; demum omni in morbo ex defectu stimuli vividiore actione resarciendi aut vis vitae potenter adaugendae.

Secundae.

65. Tertia denique desideratur in debilitate quidem verâ, sed non ita urgente, ut periculum vitae non immincat, quamvis illi citó non occurramus; á fibrarum laxitate, inertia, atonia; á tenuitate et dissolutione fluidorum; ad digestionem maximé iuvandam; in aegris veré debilibus diu et tutó corroborandis.

Tertiae.

66. Contraindicatur incitatio virium á nimio robore vitali; ab omni statu inflammatorio vero; á contractilitate, elasticitate, cohaesione fibrarum exceden-

Contraindicationo.

tibus; á plethorâ, acredine, ventriculi saburrâ; á languido etiam humorum motu, pulsu debili, functionumque omnium torpore, per diathesin phlogisticam, vel saepe per biliosam aut etiam pituitosam inductis; ubi igitur debilitas, quocumque modo se prodat, non vera, sed tantum adparens est, nimioque ex stimulo oriunda; á nimia humorum copiâ, orgasmo et impulsu; ab immoderato calore; á venenis, calculis, aliisque heterogeneis fibras irritantibus; si stomachi textura laesa est, vel ipsius, aliarum partium irritabilitas nimia existit; in affectibus etiam dolorificis et spasmodicis forti irritatione stipatis; generatim omni in morbo ex redundantia stimuli intus vel extus agentis, vitalisque actionis diversimodè excitatae.

Cautelae.

67. Inde cavendum est, ne gradus stimuli debilitatis gradum superet, cum alter alteri semper debeat, quoad fieri possit, adaptari; ne excitantia fortiora sensilissimis aegris applicentur; ne dolorem, spasmus, aliaque symptomata nervosa, musculorum languorem, aliorumque organorum inertiam pro verae adynamiae symptomatibus semper habeamus, cum frequentissime á statu corporis aut organi cuiusdam hypersthenico potius oriantur; proinde ne *oppressas* modò, non *suppressas* naturae vires incitamentis egere credamus, quas sola opprimentis causae correctio impunè excitat.

IMMINUTIO VIRIUM.

68. Si vires vitales in morbis nimis adauctae exuberare per sua signa, quae tradit Pathologia, deprehenduntur, indicant sui decrementum et imminutio-

nem, quae fiet per inediam absolutam, diaetam tenuem (n. 44. 45.); dein respiratione aëris humidi, frigore, refrigerantibus, fotu emollienti, balneo aquoso, tepido, quiete, animi affectibus deprimentibus, tenebris, solitudine; denique evacuationibus omnibus, maximè sanguineis, medicamentis emollientibus, diluentibus, laxantibus, acidis, maximè vegetabilibus, mucilaginosi, de quibus omnibus agit Materia Medica.

Auxilia.

69. Indicatur imminutio virium iisdem in casibus, in quibus ipsarum incitatio est contraindicata (n. 66.), et pariter contraindicatur, ubi indicata est talis incitatio (n. 63. 64. 65.).

Indicatio.

Contraindicatio.

70. Inde cavendum est, ne, vires nimis imminuendo, vires naturae medicatrices plus aequo imminuamus; ne vitae et sanitati necessarios stimulos detrahamus; ne funestam potius inducamus debilitatem, cum semper praestet vires aliquantulum redundare in morbis, quam deficere ad futuram ipsorum solutionem.

Cautelae.

REVERSIO VIRIUM.

71. Si vires vitales in morbis perversae et aberrantes à suo statu normali per propria signa cognoscuntur, ut vel motus irregulares mirasque sensuum et functionum deviarum turbas exerant, vel nobile quoddam viscus impellant summo cum et eiusdem et totius organismi periculo, indicant sui reversionem ad statum naturalem, quae obtinetur, in priori perversione et aberrationis modo, causae singularis ablatione; dein virium incitatione (n. 61.), narcoticis, si ipsae

Auxilia.

languent ; virium imminutione (n. 68.) , narcoticis quandoque , si exorbitant : in secundo autem , revulsione et derivatione.

Revulsio.

72. Revulsio est stimuli morborum cuidam corporis parti haerentis , viresque vitae et humores ibi accumulantis revocatio per oppositum stimulum in aliâ parte remotâ inductum , aut etiam per evacuationem illum stimulum morbosum detrahentem ; atque indé *revellentia* dicuntur illa auxilia , quibus talis oppositus stimulus inducitur , aut illa longinqua evacuatio obtinetur.

Revellentia
varia.

73. Talia sunt fots , balnea , frictiones , scarificatio , hirudines , phlebotomia , rubefacientia , vesicantia , sectio , ustio , evacuantia (n. 198. et seq.) ; cuncta variis modis adhibita pro ratione partis affectae et causae afficientis , in locis ab illâ parte remotioribus.

Derivatio.

74. Derivatio est virium et humorum in quadam corporis parte irritatâ congestorum , illucve impetuosius affluentium avocatio aliorum in vicinâ parte tentata ; indéque *derivantia* dicuntur illa auxilia , quibus talis avocatio perpetratur.

Derivantia
varia.

75. Talia sunt eadem auxilia (n. 73.) , tum evacuantia , tum alia , locis parti affectae plus minus vicinis ad vires , stimulos , et humores indé derivandos applicata.

Utilitas.

76. Sic , revellendo aut derivando , per alienas impressiones morbificae tolluntur , spasmi solvuntur , organa nimis incitata á vehementiori reactione morbosâ liberantur , viresque vitae ibi concentratae distrahuntur , ad alias partes , ad peripheriam corporis refluant , et aequam ac salutarem distributionem subeunt ; sic vasa nimis distenta deplentur , circulatio expeditur ,

absorptio promovetur, in dissitis etiam organis congestionibus levantur, humores versus aliquam partem morbosé affluentes contrariâ viâ diriguntur, ipsorumque necessarió incitantium copia minuitur, unde actio vitalis deprimitur, vires infringuntur et inducitur debilitas.

77. Indé cavendum est, ne alienos stimulos infligamus maiores ac incitamentum morbosum auferendum requirit, sed istius gradui omnino proportionatos; ne, dum conamur irritationem á quodam organo divertere, in vividiorē et aequé perniciosam totum systema conciciamus; ne nimis citó, nondum sat fractá phlogosi, revellentia aut derivantia quae irritando agunt adhibeamus; ne nimis revulsis aut derivatis atque detractis necessariis humorum stimulis summam debilitatem corpori conciliemus.

Cautelæ.

78. In morbo activo, incipiente, per vices recrudescente, revulsio; in passivo autem, stante, declinante, derivatio generatim præferenda est: utraque in eodem corporis latere, dextro vel sinistro, in quo affecta pars adest, instituenda. In contrario etiam latere institui potest revulsio, si fiat in eodem corporis dimidio, superiori vel inferiori, in quo est pars affecta.

Leges
generales.

METHODUS PRAESERVATORIA.

79. Methodus præservatoria adimplet *indicatorem causalem*, *prophylacticam* seu *præservatoriam*, quae postulat ablationem, vel correctionem causarum morbos producentium.

Obiectum
meth. præes.
Quid sit indicatio
causalis.

80. Post vitae securitatem nihil magis interest quam auferre, vel saltem corrigere causas, quarum effectus cum sint morbi, manente earum actione, nec praesentes ipsi curarentur, nec praecaverentur futuri.

81. Causae morborum sunt vel occasionales, vel praedisponentes, vel proximae, quas exponit Pathologia; quae omnes quidnam generatim indicent haec pars methodi medendi docet.

CAUSAE OCCASIONALES.

82. Errores diaetae, seu pravae et noxiae á regulis diaeteticis deflexiones indicant generatim mutationem in sex rebus connaturalibus secundum regulas Hygiæ therapeuticae (n. 35 et seq.) ordinandis.

Circumfusa. 83. *Aër* nimis calidus aut frigidus, humidus, nubilus, ventosus, pulverulentus, impurus, putridus, vaporibus acribus, mephiticis inquinatus indicat qualitates contrarias (n. 36.); crebram renovationem; munditiem in omnibus circa aegrum; paludum, fimetorum, latrinarum, caemeteriorum, nosocomiorum viciniae fugam; fumigationes nitricas et chloricas, aut etiam alcalinas, licet omnibus istis non nimis sit findendum.

84. *Clima calidum* meridionale indicat magis victum facilem; potus spirituosos; remedia refrigerantia, sicca, excitantia; antispasmodica, narcotica; transpirationem cohibentia; systematis biliferi actionem moderantia, bilemque et putredinem corrigentia; vomitoria; minorem sanguinis detractionem; parvas medicamentorum doses; vestes leviores.

85. *Clima septentrionale frigidum* indicat magis victum durum; potus diluentes, tepidos; remedia calida, humectantia, laxantia; sudorifera; maiorem systematis mucosi secretionem et actionem temperantia, humoresque mucosos aut pituitosos minuentia; purgantia; maiorem sanguinis detractionem; magnas medicamentorum doses; vestes densiores.

86. *Loci humidi*, paludosi, maritimi indicant magis victum facilem; potus spirituosos; remedia sicca, excitantia; antispasmodica; antiseptica; febrifuga; sudorifera; antiscorbutica; minorem sanguinis detractionem; vestes densas; mutationem cum locis eminentioribus.

87. *Loci sicci*, montani indicant magis victum durum; potus diluentes, tepidos; remedia humectantia, laxantia; maiorem sanguinis detractionem; mutationem cum locis humilioribus.

88. *Epidemiae* indicant attentam considerationem constitutionis annuae tunc dominantis, eiusque transitus in aliam, si hic forté contingat, aut earundem influxus in ipsam constitutionem annuam; methodum curatoriam genio constitutionis, aut proprio, si diversus ab illo est, accommodatam; remotionem causarum illas producentium; citam fugam á foco infectionis, tardumque regressum.

89. *Genius constitutionis* varié indicat, prout varius ipse fuerit, hanc varietatem utiliter exponente Pathologiá; undé diversa methodus curatoria in epidemiis adparenter similibus est saepé adhibenda, atque etiam in morbis non epidemicis, licet ad speciem iisdem, qui uná cum epidemicis conspiciuntur, cum

constitutio tunc regnans suum dominium in illos quoque potenter exerceat.

90. Ex anni temporibus *aestas* indicat ut coelum calidum (n. 84.), et *hyems* ut coelum frigidum (n. 85.); *ver et autumnus*, praeterquamquod varié indicant, prout in aestivale vel hyemale tempus plus minusve inclinant, indicant magis curationem radicalem morborum chronicorum; correctionem diathesium et cachexiarum; repetitionem evacuationum assuetarum, maximé sanguinis; seram depositionem et citam reassumptionem vestium densiorum; considerationem aequinoctiorum.

Applicata.

91. *Laedentia externa*, acria, pungentia, rodentia, lacerantia, urentia, inflammantia, &c.; insecta, peregrina corpora per aures, nares, os, anum, urethram ingressa; ictus solis, lux nimia, sonus ingens, odor gravis; balnea, linimenta, unguenta, medicamenta incongrua, indicant sui remotionem citam, dein morbi singularis per eadem facti medelam.

92. *Vestimenta* arctiora, comprimentia, immunda, ex materiis noxiis constructa indicant sui mutationem cum aliis laxioribus, mundis, ex materiâ salubri conflatis.

93. *Artes*, quas populus exercet, varié indicant secundum variam ipsarum materiam et varias posituras, motus, aut manipulationes, quas exigunt, cum multiplices indé promanent morbi peculiariter mendi: in genere autem indicant crebram aëris renovationem ob particulas acres, venenatas, non respirabiles, diversimodé noxias, ex materiis elaboratis exhalatas; optimam nutritionem; moderatum labo-

rem ; excubiarum in seram noctem protractarum deviationem ; demum sui cessationem absolutam , aut saltem mutationem cum aliis artibus diversos motus , posituras , aut materias praecipientibus.

Ingesta.

94. *Ingesta* , cibi , potus , condimenti , medicinali , vel veneni titulo , quantitate aut qualitate peccantia , indicant sui expulsionem per os aut alvum ; dilutionem per aquosa , acidula ; demulsionem per oleosa , mucilaginosa ; correctionem per ea quae opposita qualitate gaudent ; inediam ; curationem symptomatum.

95. *Nimia abstinentia* indicat nutrientia eupepta , parva copia exhibita primum , ad magnam non nisi gradatim ascendendo ; dein curationem malorum ab illa inductorum.

96. *Venena* ingesta vel applicata indicant sui expulsionem ex corpore ; correctionem per antidota ; mitigationem symptomatum.

97. Venenum susceptum *expellitur* vomitorio leni , nauseoso , non acri , promptissimo ; purgante , clymate , laxantibus , antiphlogisticis , repetitis ; forsan sudoriferis , diureticis , plus minus validis.

98. Si non expelli potest , *corrigitur* applicatione talium , quae valent inertes reddere illas eius qualitates , quibus nocet corpori , sive *antidotorum*.

99. Primaria et ferè *communia* , contra omnia ferme venena , *antidota* , quae ideoque summi sunt usus , ubi cognoscitur venenum datum , sed ignoratur singularis eius natura , sunt haec precipue : tepida oleosa , aquosa , mellita , emollientia , mucilaginosa , lacticinosa , laxantia ; affatim , subito , diu hausta , injecta , applicata.

100. *Antidota singularia* vel non adsunt, vel plerumque aequé noxia et violenta forent ac ipsa venena; hinc non nisi cautissimé tentanda.

101. Sed praeter dicta (n. 99.), á venenis acidis indicantur quoque levia alcalina, magnesia pura; ab alcalinis acida diluta, laxantia acidula; á narcoticis acetum, acida; á saturninis opiata sola, vel purgantibus stipata.

102. Venena *suffocantia* pulmonibus inspirata et asphyxiam inducentia *aliter* indicant, nimirum aëris puri per os immissionem; virium vitalium feré extinctarum incitationem per diffusiva penetrantiora naribus, temporibus, epigastrio, ori applicata, aut et tabaci fumum in anum iniectum; membrorum perfrigeratorum calefactionem per fortes frictiones, stragula densiora, cineres calidos, alia: omnia quoque statim et diu adhibita.

103. Si venena *externo* ictu, morsu, applicatu agunt, tum indicatur quammaximé veneni *eductio* per locum contagii, atque etiam alium, si in isto forsán deponatur, sugendo, scarificando, urendo, emolliendo, fovendo, vel et sudorem fortiter eliciendo, et veneni *enervatio* facta forsán per acida, salina, calcarea absorbentia, aut specifica magis antidota, si cognoscantur.

104. *Symptomata* saeva, venenorum effectus iam sensibiles, per doctrinam pathologicam non difficulter reducuntur in suas classes; tumque poterunt curari ac si essent morbi quidam singulares.

105. *Contagia* ingesta, vel applicata indicant causae contagiosae ablationem; contagii suscepti correctio-

nem, aut expulsionem é corpore; mitigationem symptomatum; munitionem corporis contra vim ingerendi, vel applicandi contagii.

106. Causa contagium spargens, atque communicans corpori, vel atmosphaerae immiscens miasmata, vel corpori iam applicata illi miasmata inspirans, si sensibilis est et cognita, *auferri* potest, 1.^o tollendo rem contagiosam, et quidem imprimis eam fossae profundiori sepeliendo, vel flammis vivis magnisque comburendo, vel calci vivae, acidis fortioribus, maxime chlorico, chlorureto oxydi sodii aut calcii aquâ soluto, aquae purae, marinae, immergendo; aërem, qui miasmata defert, corrigendo per vapores densos rerum accensarum, vel calefactorum, quae oppositam habeant vim contagio cognito, per fumigationes alcalinas, nitricas et chloricas; ipsum aërem mutando, dissipando, renovando per ventum arte factum; eum fugiendo, vel ad alteram partem montium altorum transeundo: 2.^o tollendo vel corrigendo id materiae contagiosae, quod corpori iam ingestum, vel et applicatum est.

107. Contagii suscepti correctio, expulsio, eiusque symptomatum mitigatio exigunt peculiarem cognitionem et medelam morbi singularis ab ipso contagio producti.

108. Corpus *munitur* contra contagia et venena, applicanda imprimis, usurpando largiter antidota generalia et singularia, quae modò tuta sint, si prius cognoscitur indoles eius contagii, vel toxici, quod praevideatur applicandum; corpus, vel saltim partem, cui metuitur, inungendo iis, quae leniter oleosa; om-

nes partes corporis retinendo in perspiratione aequabili; timorem, animi commotiones, errores diaetae sedulò vitando; sed nullum tutum hîc universale cognoscitur, licet iactentur plura; demum inserendo cuti per vulnusculum inflictum materiam contagii metuendi, ut benigniores effectus edat, vel alterius praecaventis, si cognoscatur, uti vaccini.

109. *Vermes* indicant sui expulsionem per vomitoria, purgantia; necem per anthelmintica; correctionem vitii ipsos foventis; curationem mali ab iisdem facti per sua propria remedia anthelminticis sociata.

110. *Calculi* indicant sui dissolutionem et expulsionem per remedia lithontriptica, si cognoscantur; extractionem per instrumenta chirurgica; mitigationem symptomatum ab iisdem oriundorum; correctionem causarum et diatheseos ipsos inducentium.

111. *Retenta* intra corpus, quae excerni solbant, indicant sui eductionem, quae obtinetur evacuantibus cuilibet retento propriis, ablatione causarum retinentium; dein curationem malorum inde promanantium.

112. *Excretiones nimiae* indicant sui cohibitionem per varia auxilia cuilibet excretioni accommodata; remotionem causarum excernentium; saepè mitigationem fluxûs per narcotica, vel determinationem aliorum per oppositam excretionem aut revellentia; cautam corroborationem corporis laxi, debilis per roborantia, adstringentia, nutrientia.

Acta.

113. *Motus* nimius, quocumque modo peractus, indicat quietem corporis et animi; humectantia, diluentia, blanda lenientia.

114. *Nimia quies*, vel totius corporis, vel membri posituram singularem diu retinentis, indicat motum universalem, vel peculiarem ipsius membri per varia exercitia; frictiones, excitantia, toti corpori, vel soli membro applicata; posituram membri diversam.

115. *Somnus* nimius indicat vigiliam; motum corporis, agitationem animi; excitantia varia, vel é contrá diluentia, temperantia, revellentia á capite, pro statu corporis adynamico vel hypersthenico; quae omnia etiam indicantur ad tollendam proclivitatem in somnum iam inductam.

116. *Vigiliae* nimis protractae indicant sui cessationem; quietem corporis et animi; somnum, maxime nocturnum; absentiam obiectorum illas excitantium; diluentia, temperantia, demulcentia; analeptica, anodyna, soporifera.

117. *Animi pathemata* indicant sui sedationem ratione; lectione; harmoniâ; contrariis affectibus; varietate obiectorum; peregrinatione; somno, anodynis, opiatis.

Percepta.

118. *Imaginatio foeminae gravidæ* indicat, præter sui sedationem per dicta (n. 117.), satisfactionem appetituum, etiam depravatorum, si vehementiores sint, cum debitis tamen cautelis.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

119. *Ex aetatibus infantia et pueritia* indicant magis absorbentia antacida; lenia purgantia; antispasmodica; summam attentionem dentitionis; antivermi-

Aetas.

nosa; revulsionem et derivationem humorum á capite: *adolescencia* antiphlogistica, temperantia; summam attentionem transitus plus minus rapidi ad pubertatem, et nimii corporis incrementi; evacuationes sanguineas; revulsionem et derivationem humorum viriumque vitalium á pectore: *virilitas* systematis biliosi actionem moderantia; obesitatem cohibentia aut corrigentia; evacuationes hæmorrhoidales; revulsionem et derivationem humorum viriumque vitæ ab abdomine: *senectus* calefacientia, spiritiosa; anticalculosa; systematis mucosi secretionem corrigentia; blanda expectorantia.

Sexus.

120. Sexus *foemineus* indicat remedia leniora, maiori ipsius sensilitati accommodata; antihysterica et menagoga, pro diverso casu diversa; summam attentionem eruptionis et cessationis menstruorum, graviditatis, partus, puerperii, lactationis.

Temperamentum.

121. Ex temperamentis *sanguineum* indicat temperantia, diluentia, acidula; sanguinis detractio: *biliosum* temperantia, acida, maximè vegetabilia; antibiliosa; iræ devitatio: *melancholicum* stomachica leniora; hypochondriasi opposita; deobstruentia; laxantia; calefacientium, acrium fugam; temperantia: *pituitosum* sicca, calida, stimulantia; evacuantia fortiora; humores mucosos minuentia: *nervosum* analeptica, antispasmodica; roborantia; stomachica nervina; nullas ferè exinanitiones, præsertim per sanguinis iacturam; quandoque temperantia: *musculare* diluentia; refrigerantia; laxantia; blanda lenientia.

Hæbitus.

122. *Hæbitus athleticus* corporis indicat ferè ut

temperamentum sanguineum et musculare (n. 121),
ac plethora (n. 182.).

123. *Habitus* corporis *infirmus* indicat feré ut
cachexia (n. 133.); dein sedulam fugam causarum in-
firmantium.

124. *Organum*, quod in corpore deprehendi solet
infirmius respectu ad alia organa, quodque irritabilius
est, aut maiori poliús activitate pollet saepe, indicat
attentam sui considerationem, etiam in morbo corpo-
ris universali, quem potest actione aut affectione suâ
modificare; distractionem virium, humorum, pro-
ductorum morbosorum illuc ob maiorem irritabilita-
tem magis tendentium; sui corroborationem, si veré
infirmum est, vel suae actionis et praepotentiae mode-
rationem, per auxilia commodiora.

Organum
infirmius.

125. *Habitus* ad peculiare morbos *praedispo-
nentes*, uti apoplecticus, phthisicus, &c., indicant
sedulam fugam eorum, quae valent hanc praedisposi-
tionem in actum deducere; usum eorum, quae valent
hanc praedispositionem infringere.

126. *Idiosyncrasia* indicat alimenta, medicamenta
haud repugnantia; fugam illorum, licet aliás utilium,
quae sciuntur tali idiosyncrasiae nocere; usum illorum,
licet minús utilium, quae sciuntur datae idiosyncrasiae
convenire.

Idiosyncrasia.

127. *Consuetudo* indicat alimenta, medicamenta
solita, licet forsán minús praestantia insolitis; solitorum
mutationem saepé, dum ipsa effectum desideratum in
corpore nimis assuefacto non ampliús exerunt; reme-
diorum, evacuationum, actuum solitorum continuatio-
nem, cum potens consuetudinis vis, etiam in morbis,

Consuetudo.

sit maximè attendenda, ideóque suppressendorum non subitam, sed gradariam suppressionem; sui, si noxia, destructionem, inducendo aliam minús noxiam, vel perturbationem subitam quae ordinem naturalem revertat; sui demum restitutionem, aut saltem substitutionem per alias analogas, si repentè fuerit suppressa.

Periodicitas. 128. Periodicitas, seu dispositio corporis ad certos actus morbosos periodicè reproducendos indicat omnia illa quae possunt paroxysmos imminentes praevertere, vel incipientes confundere, vel iam presentes inordicare, uti excitamenta vividiora, tum corporis, tum animi, systema nerveum vehementer immutantia, uti excretio sudoris, vel alia, sat copiosè mota; corticem peruvianum; nervina, opiata; resolventia, deobstruentia; fugam magis sollicitam causarum occasionalium die et horà quibus paroxysmi pridem accedebant, uti etiam in menstruâ periodo.

Antagonismus. 129. Antagonismus diversarum corporis regionum aut organorum indicat applicationem auxiliorum directè medentium, evacuantium, derivantium regioni aut organo non antagonistae, revellentium verò antagonistae; excitationem actionis in quibusdam organis, ut actio organorum antagonistarum cesset aut mitigetur.

Synergia. 130. Synergia, seu societas operis quorundam organorum indicat attentam distinctionem symptomatum synergicorum á sympathicis et accidentalibus, illorumque magis sollicitam curationem; remotionem laesionum, obstaculorum á partibus synergicis, si synergia favenda est; applicationem immediatam remedium eisdem partibus, si oppugnanda.

131. Sympathia, seu consensus actionis aut affectionis organorum indicat ablationem irritationis consensualis á parte saepé longinquâ; attentam ideó distinctionem partis meré consentientis ab alterâ idiopathicé affectâ, maximé si haec, uti saepé evenit, veram morbi sedem non facilité ostendit; remedia sympathiae partis affectae cum aliis faventia, vel minimé contraria, si ipsa utilis, contraria veró, si noxia est; eorum semper adplicationem ad partes magis consentientes.

Sympathia.

132. Diatheses et habitus morborum indicant eadem ac morbi, ad quos praedisponunt, vel quibus proximi sunt, remedia, sed plerumque vel minori copiâ exhibita, vel minori vi et efficacîâ pollentia; sui correctionem per lac asinum, aliud, serum lactis, sola, vel remediis commixta, per laxantia, solventia, alterantia dicta &c., tempore maximé verno, aut etiam autumnali, uti et aestivali per aquas minerales carbonatas seu acidulas, ferruginosas, salinas, sulphureas, vel alcalinas, frigidas, calidas, interné, externé adhibitae, per mutationem climatis in aliud prorsus diversum, itinera longiora.

Diathesis
et habitus
morborum.

133. Cachexia, seu depravatus corporis habitus indicat eadem ac morbus, á quo inducta fuit, remedia, sed plerumque vel minori copiâ exhibita, vel minori vi et efficacîâ pollentia; eorundem continuationem donec corpus euexiam, seu bonum et naturalem habitum adquisiverit; roborationem solidorum; nutrienda eupeptae; aquas minerales; congruens exercitium; peregrinationem.

Cachexia.

134. Morbi praegressi proprii indicant destructionem sequelarum ab ipsis relictarum; eliminationem

Morbi
praegressi.

causae morbificae reliquae recidivam producturae, et materiae criticae dictae per metastasin iam depositae vel deponendae; correctionem dispositionis superstitis ad illos reproducendos; roborationem corporis totius, aut organi singularis, inde infirmi remanentis.

Morbi
haereditarii.

135. Morbi praegressi parentum et avorum indicant sui considerationem in filiorum morbis, etiam in dissimilibus qui possunt tamen esse illorum degeneraciones; destructionem germinis transmissi, si praesens cognoscitur; correctionem habitus corporis haereditarii ad peculiarem morbum disponentis, vel inductionem contrarii, per opportuna auxilia; sedulam remotionem causarum illam dispositionem in actum deducentium; summam attentionem temporis, quo tales morbi solent apparere, diverso secundum ipsorum diversitatem, vel quo apud parentes et avos primum fuerunt exorti.

Reconvalescentia.

136. Reconvalescentia indicat curam confirmatoriam et peculiarem, tumque diversam pro diversitate morbi; cessationem non repentnam, sed gradariam remediorum; cautam indulgentiam renascenti ciborum appetitui; considerationem maioris tunc mentis et corporis irritabilitatis.

CAUSAE PROXIMAE.

137. Cum causae morborum proximae sint ipsae proprietatum vitalium, solidorum, aut fluidorum corporis mutationes, quae morbos praesentes constituunt, ideoque vix non semper dici potius debeant ipsi morbi, auferre eas causas idem erit ac morbos curare;

quod sané est obiectum tertiæ partis methodi mendi.

138. Quod si quandoque causae proximae morborum dici non possunt idem ac morbi, erunt tamen absdubio corporis mutationes (n. 140. 143.), tum cognitæ, tum incognitæ, ideoque per sequentem methodum curatoriam quoque auferendæ.

METHODUS CURATORIA.

139. Methodus curatoria, strictiùs sic dicta, adimplet immediatè *indicationem therapeuticam* seu *curatoriam*, quæ iubet sublationem absolutam et radicalem, vel possibilem correctionem morborum.

Obiectum meth. curat.

Quid sit indicatio curatoria.

140. Haec methodus tradit modum curandi morbos seu vitia corporis tantum simplicia, ex quibus morbi propriè dicti, vel laesiones functionum, tanquam elementis, componuntur.

Morbi simplices solum hic considerandi.

141. Morbos istos compositos curandi methodum tradit Therapia specialis: nec morbi compositi aliter curantur ac simplices qui ipsos componunt et quorum curatio generalis etiam ad illos peculiariter applicatur.

142. Morbi (n. 140.) vel sunt iam cogniti per sua propria signa, vel sunt incogniti, quia indeterminati adhuc, aut quia novi.

Morbi vel cogniti, vel incogniti.

143. Cognitorum iam morborum curatio triplex erit, prout ipsi ad alterationes facultatum vitalium, vel ad vitia partium corporis solidarum, aut demum fluidarum cognoscentur pertinere; divisione ad doctri-

Cogniti triplices.

nae 'perspicuitatem' adductâ, licet aliae ex illis sine aliis raró aut nunquam possint aegrotare. Nec remedia possunt in alias sine aliis agere; sed cum aliarum laesiones medico distinctiús saepé pateant atque distinctiores proinde indicationes praebeant, cumque praeterea indicationes istae cum aliarum indicationibus admodum conveniant, utilis quoque erit divisio.

INDICATIONES VIRIUM VITALIUM.

Vitia vis vitalis totius.

144. *Hypersthenia*, superexcitatio, seu nimium robur vitale, aut virium vitalium corporis generatim consideratarum ipsamque vitalitatem constituentium energia excedens indicat sui imminutionem per auxilia (n. 68.).

145. *Hyposthenia*, asthenia, adynamia, debilitas, seu robur vitale exiguum, aut virium vitalium deficiens vigor indicat sui incitationem per auxilia (n. 61.).

146. Debilitas orta ex alimentorum, caloris, lucis, aliorumque excitantium summo defectu indicat alimenta, calorem, lucem, aliaque excitantia parciore et leniora, gradui ipsius ita semper proportionata, ut gradatim ascendamus ad fortiora secundum progressivum actionis vitalis incrementum.

147. Debilitas orta ex potentiarum incitantium summo excessu, aut vera debilitas non est, aut indicat cautissimum usum excitantium, illorum plerumque qui sunt diversi generis ac illa quae hanc debilitatem induxerunt.

148. *Irritatio*, seu hypersthenia ad magnum

gradum evēcta, atque *inflammatio*, phlegmasia, seu ipsa irritatio vasa arteriosa et capillaria magis afficiens, indicant imminutionem virium per dicta (n. 68.); revulsionem et derivationem (n. 72 et seq.) á loco speciatim irritato, vel inflammato; frigidorum applicationem quandoque; ablegationem causarum irritantium.

149. *Gangraena* et *sphacelus*, seu partialis aut omnimoda virium vitalium extinctio, indicant summam attentionem inflammationis, febris, doloris, morbi alius, causae multiplicis, ipsos inducentium aut comitantium, ideoque remedia antiphlogistica, emollientia, sedantia, alia, pro vario casu; separationem partis emortuae per artem chirurgicam, per inflammationem in parte vivá cauté excitatam, vel é contra saepe moderandam, internis, externis auxiliis; correctionem putredinis per antiseptica, intus, extus adhibita; impedimentum resorptionis saniei scarificationibus cautis, separatione aut correctione putridi iam dictis.

150. Ex abnormitatibus vis vitalis *febris*, quae praecipué systema vasculare sanguineum affectum testatur, indicat temperantia, demulcentia, refrigerantia, nitrosa, acida vegetabilia; febrifuga, maximé corticem peruvianum; libertatem colatoriorum; sedulam causarum ablationem, vel correctionem; summam attentionem loci cuiuslibet irritati et systematis vascularis actionem in consensum trahentis; sui in febre ipsá remedium frequenter, ex prudenti virium vitalium et potestatis morbosae aestimatione diiudicandum; sui continuationem, aut etiam excitationem cautam ad nonnullos morbos per eius vim et effica-

ciam dissipandos ; moderamen symptomatum graviorum ; febrilis materiae dictae expellendae praeparationem , ac crisi , vel metastasi , per indicatas á naturâ aegri et morbi ipsius , á constitutionis regnantis genio vias , expulsionem.

151. *Fluxio*, seu directio abnormis virium vitalium in aliquam corporis partem , ad quam ideó sanguis aliive humores motu plus minus rapido , *fluxionario* dicto , affluunt , indicat revulsionem et derivationem (n. 72. et seq.) ; evacuationem materiei fluxionem facientis ; correctionem diatheseos materiem illam suppeditantis ; inversionem motûs fluxionarii per impressiones plus minus vehementes et subitaneas.

Vitia solius
sensibilitatis.

152. *Hyperaesthesia* , seu sensibilitas excedens indicat sui decrementum et obtusionem per antispasmodica , narcotica ; demulcentia ; temperantia ; regimen optimum , maximé fugam pathematum animi tristium ; varietatem obiectorum ; peregrinationem.

153. *Anaesthesia* , seu sensibilitas deficiens usque ad sui abolitionem seu absolutam insensilitatem indicat sui augmentum et excitationem per nervina , excitantia varia ; electricitatem , galvanismum.

154. *Ataxia* , seu sensibilitas abnormis et depravata indicat sui reductionem ad naturalem statum per dicta (n. 71.) , per usum alternum temperantium et excitantium , cum narcoticis , antispasmodicis , et roborantibus prudenter combinatorum , secundum diversum aberrationis modum.

Vitia contractilitatis.

155. *Hypertonia* , exuberantia toni vitalis , seu contractilitas excedens indicat huius imminutionem per diluentia , emollientia , oleosa , mucilaginosa , pin-

guedinosa , variis modis adhibita et tepida ; purgantia laxantia ; debilitantia varia ; quietem ; calorem humidum , similem victum et aërem.

156. *Atonia*, diminutio toni vitalis , seu contractilitas deficiens indicat huius incrementum per amara , adstringentia , roborantia , ferruginosa , variis modis applicata ; motum per frictiones , vectiones , exercitia ; calorem siccum , similem victum et aërem ; suffimigia aromatica ; fotum , affusionem , balneum , embrocationem aquae frigidae ; constrictionem partium per fascias.

157. *Erethismus* , seu excessus irritabilitatis muscularis indicat sui sedationem per dicta (n. 155.), si cum hypertoniâ est ; si veró cum atoniâ , per nervina , antispasmodica , narcotica , per opposita causae illam inducenti , per roborantia.

Vitia irritabilitatis.

158. *Torpor* , seu defectus irritabilitatis indicat excitationem fibrarum torpidarum per varia excitantia , nervina , stimulantia , oxygenantia , acida mineralia , rubefacientia , vesicantia ; aquas thermales ; frictiones , urticationes , flagellationes ; exercitia ; electricitatem , galvanismum ; antiseptica , antiscorbutica. Quod si torpor pendet ab oppressione virium (n. 67.), ut in plethoricis , morbis inflammatoriis , &c. , tunc indicat illa quae virium oppressionem tollunt et indé libertatem actionis fibris muscularibus restitunt.

159. *Paralysis* , seu abolitio irritabilitatis indicat huius restitutionem per excitantia (n. 158.), validiús et diutiús applicata , per ablationem causae aut correctionem vitii actionem fibrarum muscularium abolentis.